

DISPUTATIO IURIDICA DE LEGIS OBLIGATIONE IN FORO CONSCIENTIAE QUAM ILLUSTRIS ICTORUM...

Abraham Kästner, Carl Ernst Joecher, Valenti Gonzaga








DISPVTATIO IVRIDICA

DE

LEGIS OBLIGATIONE IN FORO CONSCIENTIAE.

---

§. I.



Perueſtiganti eruditorum, artificum, mercatorum, opificum, ciuium ſingulorum, ruſticorum, *verbo*, cuiuslibet in quo quis viuit, ſtatum atque conditionem, facile adparebit pleroſque quaſi ſine lege viuere, id quod ex actionibus eorum non adeo difficulter iudicari poteſt, praeprimis ſi hominum temperamenta oculo accuratiore intueri velis. Sic ambitioſus quomodo alios praecedere ipſisque imperare poſſit, ſtudet, ad honores obtinendos muneraque publica graſſatur quaſi, dieſque noctesque inſomnis conſumit, *Sine legibus viuere eſt inordinate viuere.*

donec finem quem intendit adeptus sit, parumque sollicitus est vtrum per *Genitiuum*, an per *Datiuum* vel per quemlibet alium casum fiat. De huius generis hominibus PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. Lib. II. c. 4. §. 9.* insanum est, *scribit*, et detestabile, per malas artes et rationi aduersantia facinora ad famam et honores grassari. Sic auarus opes vndique corradit, sibique tritum illud saltem proponit: *Siue raptum, siue captum, modo aptum.* Voluptuosus vero haud raro *dicto* APOSTOLI *I. ad Corinthios XV. v. 32.* abutitur: Φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν; hinc hilari cantat mente: ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas, *vel* recitat illud HORATII, *Lib. I. Carm. Ode 37. Nunc est bibendum, nunc pede libero pulsanda tellus.* Misera sane imo miserrima horum omnium conditio, pronis quippe affectibus ad ea feruntur, quae facta cupiunt. Leges enim saluberrime praescriptas omnes susque deque habent. Et, si etiam externe ob poenae metum actiones suas legibus aliquando conforment, internam tamen legum obligationem vt credant, vix adduci possunt. Operam igitur me non perditurum puto si quaedam *de legis obligatione in foro conscientiae* coniiciam. Est enim materia haecce grauis, difficilis atque ardua, non modo a ICtis et Politicis, sed Theologis etiam et Philosophis mirum in modum agitata.

§. II.

De lege diuina hic non agitur. De huius enim obligatione in conscientia nemo dubitare debet.

De lege equidem diuina sermo mihi hic non erit, quamuis enim proh dolor! etiam non desint, qui ob huius neglectum nullam scrupulosam habent conscientiam; sunt tamen plerique aliter persuasi, vt celare nequeant conuictos sese esse in legem diuinam naturaeque peccando, illum offendi cui in animos hominum imperium est, qui

metum

metuendus sit, etiam vbi ab hominibus metus non impendeat. Quo pertinet istud IVVENALIS, *Satyr. 13.*

- - - - - - Conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum;
Poena autem vehemens, ac multo saeuior illis
Quas et Caeditius *grauis inuenit et* Rhadamantus
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Quae omnia egregie confirmat PAVLVS *in Ep. ad Rom. cap. 2. v. 14. 15. add. 1.* IOAN. *3. v. 19. sqq.* Homo quippe ex innatis sibi principiis, DEO quaedam placere vel displicere, percipit, et ad ea, vel facienda, vel non facienda, sese obligatum esse, per necessariam consequentiam, simul intelligit. Docet hoc apertissime *Conscientia*, cuius tanta in vtramque partem vis est et efficacia, vt (fatente CICERONE pro MILON.) *neque timeant, qui nihil commiserint; Et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccauerint.* Eleganter hac de re OVID. *Lib. I. fast.*

Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto, spemque metumque suo.

§. III.

Quid per legem ciuilem hic intelligatur.

De lege igitur *ciuili* saltem inquiram, *an* et *quatenus in foro conscientiae obliget?* Per legem ciuilem autem intelligunt plerique sanctionem illam, quae *vel* ab eo, qui in statu *Monarchico* tenet absolutum imperium, *vel* in Aristocratia *ab optimatibus*, vel in Democratia, *ab integro populo* lata est. Quam sententiam ego quidem non reiicio, cum pro hac stabilienda rationes non contemnendae adduci soleant. Mihi interim inpraesentiarum, *lex ciuilis* esto norma, quam is qui τὸ κύριον habet in Republica, subditis suis praescribit, vt vel faciant, vel omittant aliquid.

Cauſa igitur huius legis ciuilis efficiens eſt *ſumma poteſtas*, ſiue ea, vti iamiam diximus, ſit penes *Regem*, ſiue *Optimates*, ſiue *Populum*.

§. IV.

n haec in onſcientia obget? ddlucuntur iſſentientes.

An vero *eiuſmodi lex ſubditos in conſcientia obliget*, varie inter ſe diſſentiunt eruditi. Quaeſtionem pure negant e Proteſtantibus CALVINVS *Lib. IV. inſtit 20.* BEZA et quidam alii; e Pontificiis GERSON *de vita Spirituali, lect. 4.* (fatente BELLARMINO) ALMAIN, et *(vt aliqui volunt)* NAVARRVS.

dfirmantes.

Affirmant autem hanc e Proteſtantibus MVSCVLVS, VRSINVS, alii: et e Pontificiis, *Ieſuitarum et Scholaſticorum* plerique. *v.* ROBERT. SANDERSON. *de iuramenti promiſſorii obligatione, praelectione V.* in qua, de legum humanarum obligatione in genere tractat *§. 6. p. m. 203.*

§. V.

dfirmatiua efenditur. atio I.

Vt vero adfirmantium amplectar ſententiam, ſuadet 1) Sacer codex, perplura enim hic nobis offert loca, ex quibus haud difficulter adparet, *legem Politicam* ſeu *Ciuilem* Numini Diuino non diſplicere, ſed obligare in conſcientia. Docet hoc Gentilium Doctor *in Epiſt. ad Roman. c. XIII. v. 1. 2. et 5.* (ibique *Gloſſ. Luth.*) item *in Epiſt. ad* TITVM *cap. III. v. 1.* Adparet hoc ex Ipſo veritatis ore, apud MATTH. *cap. XXVI.* Inculcat hoc inter reges ſapientiſſimus, PROVERB. *c. VIII. v. 15.* vt alia loca, ex quibus luce meridiana clarior ſententia haec elucet, ſicco praeteream pede, cum, vti certe ſpero, contradicentem neminem inueniam qui ſanam mentem in corpore ſano fouet.

§. VI.

Ex dictis itaque sua sponte fluit leges a Magistratu Politico latas obligare in conscientia, quia 2) quodcunque magistratus in salutem Reipublicae constituit, a DEO ipso proficiscitur; DEVS ipse enim adprobat ordinationem politicam, et eo ipso suam facit. Nostra quippe facimus quibus auctoritatem nostram impertimur. Leges igitur humanae sunt ordinatio DEI, non quidem directo, quatenus humanae, sed quatenus humani legislatoris potestas diuina nititur auctoritate: at Dei praeceptum sine peccato, sine scrupulo conscientiae violari nequit. *conf.* REINKINGK *de R. S. et E. Lib. II. Class. 2. cap. 5. n. 70. et 71. p. m. 889.* vbi ex ISERN. id de legibus Imperialibus praeprimis adserit. Ratio II.

§. VII.

Accedit 3) quod ratio et conscientia dictitent, etiam leges ciuiles in vtilitatem Reipublicae latas, esse seruandas. Respublica enim bonis legibus institutisque non bene instructa et firmata, facile labitur et pessum abit. Nam vt corpora nostra sine mente subsistere non possunt; ita sine legibus nec domus vlla, nec ciuitates, nec gens vlla, nec vniuersum hominum genus stare, nec ipse denique mundus esse potest, fatente eloquentissimo CICERONE, qui in specie *in Orat. pro Caecin.* nihil *inquit*, in ciuitate tam diligenter retinendum, quam *ius ciuile*, quo sublato nil cuique exploratum esse potest, quid suum, quid alienum sit, nihil est quod aequabile inter omnes atque vnum omnibus esse possit. Hinc AVGVSTINVS *Tract. 6. in* IOANN. tolle, *scribit* iura Imperatorum, et quis dicet; *haec villa mea est*, Imo sine legibus tutus ac securus sub tecto Ratio III.

suo

ſuo contra improborum vim et inſidias nemo vitam tranſigere valet; Leges enim ſunt fraena quae improborum libidines coërcent. Ipſae ſunt habenae quae obſtinatos et pertinaces reprimunt; Ipſae ſunt vincula quibus hominum cupiditates domantur. Per leges in ciuitatem ſumma introducitur beatitudo, floret magiſtratus, viuunt ſubditi, gaudent ciues, omniaque vigent ac proſpere ſuccedunt. Sane, legibus ſublatis omnis tollitur ſocietas diuturna. *vid.* PLAT. *Lib. III. de Leg.* Sacro ſancta tollitur iuſtitia, qua remota, quid regna, niſi magna forent latrocinia? vt enim ex medicina nil putare oportet proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectat, quoniam eius cauſa eſt inſtituta, ſic a legibus nil arbitrari prouenire decet, niſi quod Reipublicae ſalutare et proficuum ſit, *vid.* ARISTOT. I. *Rhetor.* 4. Haec et ſimilia aequa animi lance penes ſe perpendens facile vt credat adduci poterit, ob innumerabilia bona quae ex legum ciuilium diligenti obſeruatione in Rempublicam redundant, ciues etiam ad harum obſeruationem in conſcientia obligari.

§. VIII.

Ratio IV. Quis denique 4) ignorat leges ciuiles ex praeceptis naturalibus conſtare, quod tyronibus iuris *ex* §. *vlt. Inſt. de I. et I.* non poteſt non eſſe notiſſimum. Quodcunque autem lex naturae faciendum praecipit et ratio naturalis inculcat, hoc in conſcientia tenemur facere, quia leges tranquillitatem publicam concernentes, cum iure naturae conueniunt, et ius naturae cum iure diuino (quod citra controuerſiam obligat conſcientiam,) coincidit. Nunc vero in confeſſo apud omnes eſt, non duntaxat ius diuinum, ſed et naturale, obediendum eſſe legitimo Magiſtratui praecipere, ex quo prono fluit alueo, leges ciuiles

ſubditorum conſcientias obligare, cum Magiſtratui obedientia debeatur propter Deum, cuius ordinationi reſiſtit, qui tali perſonae, tanquam vicario Dei reſiſtit.

§. IX.

Plures adhuc alias adducunt rationes, quae tamen ad eas, de quibus diximus, ſuo modo referri poſſunt. Conſentientes autem mecum habeo Theologos communiter, ex quibus BALDVINVM *de caſibus conſcientiae Lib. IV. cap. XII. caſ. 15. p. m. 884.* et GERHARDVM *L. C. tom. 6. de magiſtratu politico, art. 1. th. 261. ſeqq. ibique citt.* adduxiſſe ſufficiant. Hancque affirmatiuam multorum auctoritate, etiam circa receptas conſuetudines tuentur ex ICtis TIRAQVELL. *de retract. lignag. in praef. n. 11. ſeq. et n. 74.* TIBER. DECIAN. *in tr. crimin. Lib. 11. c. 12. n. 5. et per tot.* et, quos copioſe recenſet FREVNDEBERG *de reſcript. morat. tit. 5. n. 50. p. m. 61. conf.* ABB. *in prooem. decretal. et in c.1. colum.3. de conſt.* IASON. *in l. nemo poteſt. lect. 2. colum. 7.* ibi: *quarto moueor, ff. de leg. 1.* BART. *in l. ſi quis pro eo, ff. de fidei. n. 12.*

Adducuntur conſentientes Theologi et ICti.

§. X.

Non vero deſunt, qui contrariam amplectuntur ſententiam, variasque propterea proferunt rationes, quarum XXII. colligit HVNNIVS *de interpretat. et auctoritat. iur. lib. II. c. 1. qu. II. p. m. 97. ſeqq.* quas, cum pleraeque parui ſint momenti, nec adducere, nec ad eas reſpondere placet, cum ſolide a laudato modo HVNNIO *l. c.* ſint refutatae, ad quem L. B. ablegatum volo.

Ad diſſentientium argumenta reſpondet Hunnius.

§. XI.

Quae tamen de legum ciuilium in conſcientia obligatione diximus, aliter accipienda non veniunt, niſi leges a Magiſtratu latae ſint iuſtae. Lex enim iniuſta non obligat in foro conſcientiae, *v.* DECIAN. *in leg.* precibus, *col. 4. C. de impub.* et legem iniquam condens continue

Iuſta tamen lex, demum in conſcientia obligat.

 peccat.

peccat. v. LESSIVS *de I. et I. p. m. 114. n. 14. et 15.* lex igitur iniqua, *i. e.* aduersa Dei et naturae iuri, neminem subditorum, quocunque sub imperante degentem, obstringit, notante HESSENTHAL. *Athlet. Pol. cl. 2. qu. 1.* imo eiusmodi lex contra naturam seu praecepta summi Numinis facta, nil valet, nec parit vllam obligationem, attestante SCHARROK. *de offic. secundum ius naturae, cap. 12. n. 5.* Hinc BALDVINVS *c. l.* Si leges, *inquit*, fuerint impiae, ducentes ad ea, quae sunt contra veram religionem, pietatem et bonos mores, conscientiam minime obligant: *oportet enim Deo plus obedire quam hominibus, Act. V. v. 29. conf.* MEISNER. *de LL. lib. 4. Sect. 1. qu. 11.* WENDELIN. *in doctr. polit. L. 11. c. 11. th. 10.* neque ad poenam, prout tamen vult WENDEL *l. c.* quem propterea sub censuram vocat HESSENTHAL. *c. 66.* cuius sententia verior omnino videtur, quia ad poenam nemo obligari potest, qui ad obsequium legis non fuit adstrictus; Et poena infligi recte potest nemini, praeterquam transgressori, qualis esse nequit quicunque ad obsequendi necessitatem non fuit obligatus.

huini sen- a de LL. ais.

§. XII.

biectio

Obiicis forte: Magistratus in terrestribus est vice Dei, at nos ipsi (§. VIII) diximus, magistratui resistentem resistere Dei ordinationi, ergo simpliciter paritio videtur necessaria. Pertinet huc quod MARCIANVS scribit *in l. 2. ff. de LL.* quod lex sit, cui omnes obtemperare conuenit, tum ob alia multa, tum vel maxime eo, quod omnis lex inuentum ac munus DEI (δῶρον Θεοῦ) sit. *) Ast facilis est hic responsio: Magistratus sunt etiam homi-

hanc onsio.

*) Quia nimirum omnia ab hominibus facta naturali ratione, diuina voluntate facta intelligi par est: non est dubium, quin humanae leges, pertinentes ad tuendam ciuilem societatem ratione naturali inter homines institutam, ratione naturali, id est, diuina voluntate, inuentae constitutaeque intelligi debeant.

homines, hinc quoque cum errare ſit humanum, errare et a tramite iuſtitiae recedere ſuisque affectibus indulgere ſicque leges iniquas atque iniuſtas decernere poſſunt, quod contingit aliquando ratione *finis*, aliquando *Modi*, aliquando ratione *circumſtantiarum*. v. SANDERSON. *c. l. concl. 1. p. m. 205. ſqq.*

§. XIII.

Exempla legum iniquarum.

Exempla legum iniuſtarum forſan deſideras? in promptu ſunt. Vnum (*§. XI.*) *ex Actis Apoſtol.* iam adduximus, vbi magnum iſtud ſynedrium *Petro* et *Ioanni*, ne vltra loquerentur in nomine IESV, mandabat. Apoſtoli vero non ſolum non paruerunt imperato, ſed et fidenter reſponderunt: *Vtrum iuſtum ſit coram DEO vobis potius obaudire quam DEO, ipſi iudicate.* Nota eſt iſta lex *Babilonica*, vt audito muſico concentu aureum grande ſimulachrum, quod erexerat potentiſſimus Monarcha, ſinguli adorarent, idque ſeueriſſima propoſita, ſi qui ſecus facerent, poena. Hac tamen lege impia non ſe paſſi ſunt obligari tres *Hebraei* adoleſcentes. *v.* DAN. *c. III.* quia ſcil. iubebatur res illicita, cultus idoli. Lege itidem Perſica lata, ne quis per aliquot dies a quoquam DEO vel homine praeterquam ab vno Perſarum Rege quicquam peteret, non paruit DANIEL, ſed eo ipſo, quo ſolitus eſt more, ſtatis temporibus DEVM precatus eſt. DANIEL. *VI.* Plura tam ex ſacro Codice quam ex profana hiſtoria, ſi longius excurrere vellem, adduci poſſent, niſi ex his liquido iam conſtaret *leges iniuſtas et iniquas, hominum conſcientias non obligare*, *conf.* interim de hac materia SVAREZ. *de LL. l. 3. c. 21.* MOLIN. *tom. VI. d. 1 et 1. tr. 5. diſp. 73 n 1.* AVGVSTIN. *de Ciuit. Dei. Lib. 19. c. 2. qu. 96.* Vnde S. THOMAS *Lib. 11. qu. 56. art. 4.* leges, *inquit*, iniuſtas eſſe magis violentias, quam leges. *v.* etiam BALDVINVS *l. c.*

§. XIV.

… legis- … con- … obli- … *… unt … im di- … m et … am.* *… distin- … men li- … da.*

De subdits huc vsque an et quando illos leges in conscientia obligent? dictum fuit. Quid vero intuitu ipsius legislatoris obtineat, paucis nunc videndum. Varie autem pro more, hic sentiunt et distinguunt Doctores: In eo tamen concors fere eorum opinio, *legislatorem obligari* quoad vim directiuam, *i. e.* in *conscientia*, non vero quoad vim coactiuam, *i. e.* ad eum effectum, vt cogi possit, vti ex variis iuris locis hoc deducere voluit LAVTERBACH *in compend. tit. de LL. lit. s. p. 8.* et FACHIN. CONTR. *L. XI. c. 2.* WVRMSER. *Ex. III. qu. 1.* Quae distinctio tamen ad eum legislatorem seu Principem adplicari nequit, qui iure proprio Imperium tenet. Hic enim ipse in vtilitatem reipublicae suae leges constituit, et per consequentiam *nec quoad vim directiuam* legibus a se latis obligatur. Leges quippe ex naturali ratione feruntur subditis; at Princeps se ipso nec superior est nec inferior; hinc merito, *meo quidem iudicio*, a dicta distinctione recedit COCCEIVS *in Iure Controu. L. 1. tit. III. qu. 5. p. m. 41. sqq.* alias enim sequeretur Deum, dum Populo Iudaico leges forenses tulit, ad illas seruandas adstrictum quoque fuisse. Legislator legibus a se latis est solutus, *v. l. 31. de LL.* Sic status in suis territoriis vi superioritatis territorialis legibus quas soli condunt, non obligantur; si vero cum consensu Statuum Prouincialium, contrarium asserunt COCCEI. *c. l. ibique citati.* **)

§. XV.

**) Princeps igitur, etiamsi a legibus diuinis deflectat, non aliam, quam Diuinam vindictam, eo quidem grauiorem experitur. *v.* MOLINA *de I. et I. tit. 3. tr. 5. disp. 6. n. 14.* ARNIS. *de iur. Mai. L. I. c. 3. n. 12.* conf. VNGEPAVR. *Exercit. Iustin. II. qu. 5. p. m. 60. seq.* Optime rem explicat OWEN. *Lib. III. epigr. 51.*

Subditus in legem peccat, Regemque DEVMque.
Rex peccat soli, Rex quia nempe, DEO.

§. XV.

Antequam finem imponam, in mentem venit SCtum Macedonianum. Notum *sc.* est, quod is qui filiofam. pecuniam mutuo dedit, si illam creditor repetere velit, exceptione SCti repellatur. Finge autem casum: filiumfam. post mortem patris, *vel* si sit emancipatus, bona acquisiuisse ex quibus, saluo statu et existimatione, soluere possit; Iure ciuili, vt soluat, cogi nequit, etiamsi iuris sui factus sit: *an vero in conscientia*, vt soluat obligabitur? Optime hic distinguere videtur SCHILTER *Exer. XXVII. th. 66-69.* si *sc.* filiusfamilias inscio et inuito patre, ob causam luxuriae mutuum sumat, ex quo deinde perniciem familiae, reipublicae, toti ciuitati *etc.* inferat, *cessare obligationem in conscientia;* si vero pater durior esset, quam par, et filius mutuum ad *rem non illicitam*, nec probabilem modum excedens sumeret, secus dicendum. Rationes vide penes SCHILTERVM *l. c.*

Quaestio de filiofam. an hic ob mutuum in conscientia obligetur? examinatur.

ADDENDA.

I.

Quod ICti docent ex *l. 9. C. de LL.* item *l. 9. pr. de iuris et facti ignor.* nec non *l. 1. §. 2. de aedil. edict.* leges *scil.* ignorare, nemini permissum esse; id cuilibet dictum esse credendum. Sunt quidem, qui putant, quod legum ignorantia plerumque excusationem praebere debeat: *quia leges partim incertae, partim idiomate peregrino scriptae. v.* PRASCH. *de ICto vero et person. §. 17.* I. S. STRYK. *de certiorat. iur. renunc. c. 2.* horum tamen aliorumque pia vota ac desideria huc vsque in foro efficere nil potuerunt.

II. Rusticitas itaque non meretur priuilegium. Equidem PAVLVS *in l. 2. si quis in ius voc. et* VLPIANVS

in l. 1. §. vlt. de edend. rusticitati subueniendum esse, adserunt; Et VIRGILIVS *Lib. II. Georgic. v. 501.*

- - - - - - - - *nec ferrea iura*
Insanumque forum aut populi tabularia vidit,

idem innuit; quae sententia etiam videtur placere NOODTIO ad tit. Pand. *de iur. et fact. ignor. Tom. II. p. 482.* Praxis vero hodierna haec principia deserit. Hinc rusticus, qui *v. g.* fatale in processu neglexit, in integrum restituendus non est, potuisset enim atque debuisset peritiores consulere. *v. l. 9. §. 3. de iur. et fact. ignor.* Sic iudicarunt *ICti Vitteberg.* apud *de* WERNHER. *Vol. I. P. I. Obs. LII. p. m. 68.*

III. Leges ferendae sunt de rebus possibilibus, vnde sequitur, quod istae, quae conscientiae vim inferunt, sint improbandae. Humanitatis enim ratio semper habenda.

IV. An lex *desuetudine* tollatur? non conueniunt inter se doctores. Ill. *de* LEYSER. *Vol. I. spec. ad* II. *IX. med. X. p. m. 100.* putat optime fieri, si diceremus: *Simplicem desuetudinem non officere legi, sed eam tantum, quae contradicto iudicio confirmata sit.* Quem in modum etiam *a ICtis Helmstad.* pronuntiatum refert.

Quo loco obseruari meretur, a quibusdam inter *desuetudinem* et *consuetudinem* non distingui. Desuetudo enim, *dicunt*, nihil aliud est, quam *consuetudo contraria* antecedenti consuetudini *vel* legi. Quod si ita est, vt consuetudo, et sic desuetudo, non sola patientia *vel* negligentia inducetur, sed contrariis factis et rebus. At, *scribit*

CAL-

CALVIN. *in Lex. voc. desuetudo*, ista nugis simillima sunt. Videtur igitur et nobis verum, quod dicit BARTOL. *in l. de quibus 32. de LL. v. desuetudinem.* consuetudinem et desuetudinem *esse diuersa.* Desuetudo enim dicenda erit, quando lex quidem adest, nunquam vero iuxta hanc, huc vsque, pronunciatum, quod tamen fieri potuisset atque debuisset. Et huc recte quadrare videtur exemplum, quod *ill. de* LEYSER. *c. l.* adducit, *vt decoctores dolosi flauum pileum gestare debeant.* Licet enim secundum eiusmodi legem diu pronunciatum non sit, tamen *hac desuetudine*, nondum in vsu esse desiit, et casu contingente lex omnino in pronunciando obseruari debet. *v.* VNGEVAVR. *de consuetud. ration. et irrat. art. IV. §. 5.* qui etiam desuetudinem, vt *contrarium quoddam* consuetudini adducit. *conf. omn.* HAHN *ad* WESEMB. *tit. de LL. v. consuetudo duplex est, n. 7.* vbi inter contrariam consuetudinem, desuetudinem, et non vsum distinguit. Liquet ex his, legem antea latam, desuetudine *non tolli* sed saltim *obscurari.* An vero consuetudo, (*quae suis requisitis constat,*) legem priorem tollat, varie etiam dissentiunt doctores. Quidam enim simpliciter negant; quidam adfirmant; quidam distinguendo incedunt. *v.* BECHM. *in comment. ad* II. *tit. de LL. l. 32. §. I. p. m. 75.* Negantes fundant *se in l. 2. C. quae sit long. consuet.* adfirmantes in *cit. l. 31. §. 1.* quorum opinionem et nos, *cum* HVNNIO *Resol. lib. I. tr. 1. qu. 27. p. m. 74.* in conflictu tuebimur.

V. Le-

V. Legis virtutes quarum fit mentio in *l.* 7. *de LL.* non ad legis essentiam, sed ad effectus pertinent. Accuratius itaque loquendo *duo* sunt primarii legis effectus: *Praecipere* et *vetare*, *v.* HAHN *ad* WESENB. *tit de LL.v. illud commune.* Conf. *omn.* GERARD. NOODT *ad* II. *tit.de leg.Senatusconf. et long.consuetud.§.vidimus.* In eius oper. *Tom. II.p.m.12.* vbi disquirit: *an non* MODESTINVS *in cit. leg.* 7. SVADERE *etiam ad legis virtutes referre debuisset:* cum in Pandectarum fragmentis complura extent consiliorum suasionumque exempla: *vt in l.* 34. *de LL. l.* 36. *de R.V.* et alibi. Sed concludit NOODT, quod non: Quia MODESTINI sermo est *de virtute legis:* Fragmenta autem illa non sunt leges, sed doctrinae ICtorum, etsi a IVSTINIANO acceperint legum auctoritatem; hoc enim contigit demum post MODESTINVM, hinc illi in mentem venire non potuit.

VI. Non adprobamus *legem*, vel si mauis *mandatum* BATAVORVM, vi cuius praefectis nauium iniungitur, vt potius, si in praelio nauali hoste superiores esse non possunt, antequam ipsi et naues in potestatem hostis viui veniant, qui post iis vterentur contra se, nauem ipsam cum omnibus militibus, puluere ignito perderent. Nulla quippe species αὐτοχειρίας licita, quicquid alii dicunt. *v. omn.* VNGEPAVR. *de erroribus Iustinian. posit* XIV. *vsque* XXVII.

* * *